

Michael Cobabus Joachim Buschow

Disputatio Analytico-Theologica Super Cap. XI. Epist. Ad Romanos : Exhibens Pauli Ap: dissertationem de Judaeorum abiectioe, & gentilium assumptione

Rostochi[i]: Richelius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740033263>

Druck Freier  Zugang



R U Med 1662

Michael Cobotus

Vert.: Joachim Büchlow

37.

DISPUTATIO
ANALYTICO-THEOLOGICA

Super

CAP. XI. EPIST.
AD ROMANOS,

Exhibens

Pauli Ap: dissertationem de Judæorum
abjectione, & gentilium assumptione.

Quam

Divinâ favente gratia

In illustri ad Varnum Academia

Amplissimæ Facultatis Theologicæ consensu,

PRÆSIDE

DN. MICHAELE COBABO,

SS. Theol. D. & P. P.

Publicè ventilandam proponit

JOACHIMUS BUSCHOVIUS,

Neo-Ruppinensis Marchicus

In Atrio majori horis matutinis

Ad diem Mar.



ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat. Typ.
A. O. R. M D C LXII.


1662.

GAB. XI. EPIST.

Tab. A. differentia de Judaeorum
lectione & gentium alienatione

DMICHAEL COBANO

JOACHIMUS RUSCHOVIVS



Typ. Johannis Richelii, Secus Typ.
A. O. R. M. D. C. LXII

DISPUTATIO
AALTYICO-THEOLOGICA.
Super Cap. II. Epist. ad Romanos.
Exhibens

Pauli dissertationem de Judaorum abjectione, & gentilium assumptione.

Capite nono Epistolæ ad Romanos, Apostolus Paulus contra Judæos sibi persuadentes, quod sint filii, & hæredes per carnem, & operum merita, atq; propterea non pudeant, sed salventur, & consequantur, quod querunt, & expectant. Ita argumentatur: Judæi non credunt in Christum, sed offendunt ad lapidem, ad quem impingitur, & petram offendiculi. E. Judæi non salvantur, sed pudeant, & non adipiscuntur, quod querunt, & expectant. Huic argumento cap. X. opponitur sequens objectio: Judæi magno zelo contendunt ad salutem. E. Judæi non pudeant, sed salvantur, & adipiscuntur, quod querunt, & expectant.

Resp.
JOACHIMUS
BUSCHOVIVS
NEORUPINENSIS
MARCHIVS.

Ad hujus argumenti antecedens prolixè Apostolus respondit Cap. X sicuti docet illius capituli analysis. Capite undecimo nova proponitur objectio, ut probetur, quod sit absurdum dicere: Judæos pudeant, & non adipisci, quod querunt, & expectant. Si itaq; opponitur: Israelitas Deus non abjecit. E. Israelitæ non pudeant. Antecedens probatur seq. argumento: Israelitæ sunt populus Dei. E. Israelitas Deus non abjecit, nam absurdum est dicere Deum populum suum abjecisse: quod proponitur versu 1. *Dico igitur, numquid Deus abjecit populum suum? Absit,*

vers. 1

Respondet Apostolus 1. Dist. inter abjectionem universalem & particularem, atq; inter abjectionem absolutam, & conditionalem. 2. Neg. Deum in universum, & absolute Israelitas abjecisse. Prius probat seq. arg. Deus Paulum non abjecit. E. Deus in universum Israelitas non abjecit.

Consequens probat, quia Paulus quoq; est Israelita. *Nam & ego, inquit, Israelita sum, ex semine Abrahami, tribus Benjamin* versu eodem. Posterius probat seq. arg.

Deus non abjecit populum suum, quem præcivit non inobedientem, non contradicentem, non offendentem ad lapidem. *offendi-*

offendiculi, sed veris mediis ad salutem contendentem, & cum Christo patientem. E. Deus Israelitas, quos abjecit, non absolute abjecit.

Consequens probatur, quia præscientia DEI in causâ salutis respicit salutis media, quæ cum contemnantur & respiciantur à Judæis, qui nolunt se submittere justitiæ fidei, sed propriam justitiam quærunt constituere, Deus Israelitas, quos abjecit, non absolute abjecit.

Antecedens 1. proponit vers. 2. *Non abjecit Deus populum suum, quem præscivit.* 2. Probat scq. argumento. Populum, quem præscivit, Deus servat secundum electionem gratiæ. E. Populum, quem præscivit, Deus non abjecit. Antecedens probat, quia (α) populum quem præscivit, Deus secundum electionem gratiæ servavit in V. T. quod proponit v. 2. 3. 4. ubi Judæos Ap. ita alloquitur: *An nescitis de Eliâ, quid dicat scriptura? Quomodo interpellat Deum, adversus Israëllem, dicens: Domine Prophetas tuos occiderunt: & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & petunt animam meam. Sed quid dicit ei divinum responsum? Feci ut remanserint mihi septem milia virorum, qui non flexerunt genu Baal.* (β) populum, quem præscivit, Deus secundum electionem gratiæ servat quoque in N. T. quod proponit v. 5. *Ita igitur & hoc tempore reliquia secundum electionem gratiæ facta sunt.* Si opponitur contra hanc responsionem. Deus sibi reservat populum ex gratiâ, & operibus: E. Deus populum, quem reservat, non reservat secundum electionem gratuitam.

Resp. 1. Ad Antecedens, quod sit absurdum, & impossibile: Nam ex gratiâ, vel gratuito Dei favore servari, & ex operibus servari se mutuè convellunt, & destruunt, simulq; stare nequeunt. Quic. igitur servantur, illi servantur vel ex gratiâ, vel ex operibus; si v. per gratiam, non etiam ex operibus: alioquin gratia non est gratia. Nam quod ex gratia datur merum donum est: Sin ex operibus, non etiam ex gratia; alioquin opus jam non est opus. Nam, quod datur operanti, est merces, est debitum: quod proponit vers. 6. *Si vero per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.* Nam operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed

am sed secundum debitum, ac non operanti; credenti, verò in eum, qui justificat impium, imputatur fides ejus in justitiam Rom. 4. v. 4. & 5.

2. Ad Consequens negando, quando ita colligit, & concludit: Quid igitur nunc sequitur? An seq. Judæos, qui nolunt servari gratuito, non pude fieri, sed consequi, quod quærunt? Illud sequitur: Israelitæ nolunt servari secundum electionem gratiæ, sed propriam justitiam student constituere.

E. Israelitæ pude sunt, nec adipiscuntur, quod quærunt.

Consequens i. proponit vers 7. *Quid igitur? Quod querit Israel, non est adeptus.* 2. Probat nam non illi, qui nolunt servari gratuito, sed electi, qui ex gratiâ per fidem salutem quærunt, adepti sunt Justitiam coram Deo valentem; Reliqui verò qui opinione propriæ Justitiæ falcinati Justitiæ Dei sese submittere nolunt, occalluerunt. quod i. proponit versu eodem. *Sed electi adepti sunt, reliqui verò occalluerunt.* 2. Illustrat verbis Esaia, & Davidis, reliquos Judæos Justitiæ Dei sese submittere nolentes occalluisse, sicut scriptum est: dedit eis Deus Spiritum soporis: oculos, ut non videant, aures ut non audiant usq; ad hodiernû diem. Et David dicit, fiat mensa eorum in laqueum, & retidiculum, offendiculum, & retributionem ipsis. Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant; Et tergum eorum semper incurva, quod proponit vers 8 9. & 10. vers. 8. 9.

Si hæc verba Esaia, & Davidis, in quibus coacervantur multa & 10. sententiæ, quæ describunt pœnas horribiles præfactum mediorum salutis contemptum comitantes, torquentur in peregrinum sensum, ut probetur, Deum illa mala permisisse, ut Judæi caderent, & non crederent, atq; opponitur:

Deus dedit Judæis Spiritum soporis, vel compunctionis &c: E. Judæi offenderunt ad lapidem, ad quem impingitur, ut conciderent &c.

Consequens proponitur vers. 11. *Dico igitur, numquid impegerunt, ut caderent.* v. 11.

Resp. ad Consequens, absit: quod i. proponit v. 11. 2. probat, nam si intentione, & permissione Dei offendissent Judæi ad lapidem

dem offensionis, ut non crederent, ut conciderent, & non servarentur; gentiles inter alios fines conversionis suæ non essent conversi, ut suo exemplo ad pie æmulandum, vel ad salutarem imitationem, & ad amplectenda vera salutis media Judæos provocarent; Sed per lapsum Judæorum salus contigit gentibus, ut Judæos ad
 v. 11. *Sed per eorum offensionem salus contigit gentibus, ut eos ad æmulationem provocarent.*

Si contra hanc responsionem opponitur:

Per Israelitarum offensionem salus facta est gentibus, vel ditati sunt gentiles.

E. Israelitarum respicientia, & conversio obest vocationi, & saluti gentium.

Resp. Apostolus arg. invertendo:

Per Israelitarum offensionem salus facta est gentibus, vel ditati sunt gentiles.

E. Israelitarum respicientia, vel conversio non obest, sed prodest vocationi, & saluti gentilium.

Consequens probat, nam si respicientia, vel conversio Judæorum obesset vocationi, & saluti gentilium, multò magis lapsus, & offensa Judæorum noceret gentilium vocationi, & saluti; si verò offensa Judæorum divitiæ sunt mundi, ut gentiles pretiosissimū illū Justitiæ, salutis, & gloriæ thesaurum consequantur, & diminutio, vel paucitas Judæorum in Christum credentium divitiæ sunt gentium, quāto magis plenitudo Judæorum, vel quāto magis prodesset vocationi, & saluti gentilium, si Judæi magno numero respicerent, & ad Christum converterentur, quod proponit v. 12. Si
 v. 12. *verò illorum offensa divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium, quāto magis plenitudo eorum.*

Hæc responsione data, opposites Paulum ita poterant alloqui: Paule antea quærebatur, an gentilium saluti, & vocationi obesset Judæorum conversio: Nunc responsione ad illam quæstionem datâ, quæritur, an gentium vocatio, & conversio noceat vocationi, & saluti Judæorum. Nam tu virtute signorum, & prodigiorum

digiorum prædicas Evangelium gentibus: Tu virtute Spiritus Dei apud gentes ita exornasti, & illustre reddidisti munus Apostolicum, ut ab Hierosolymis usq; ad Illyricum impleveris omnia prædicatione Evangelii: Illud autem videtur obesse vocationi, & salutari Judæorum: quare sic argumentamur:

Paulus est Apostolus gentium. E. gentium vocatio nocet vocationi, & conversioni Judæorum.

Resp. Apostolus argumentum invertendo:

Paulus est Apostolus gentium. E. gentium vocatio, & conversio non nocet, sed prodest vocationi, & conversioni Judæorum.

Consequ. probatur, nam ministerium suum, quatenus est Apostolus gentium Illustrat virtute Spiritus Dei, virtute signorum, & prodigiorum, summaq; curâ, & industriâ munus docendi Evangelium apud gentes exequitur, si quo modo illustri gentium exemplo Judæos (videntes, & audientes, quod gentiles per fidem ubicunq; locorum virtute Spiritus Dei sese submittant Deo Abrahami, Isaci, & Jacobi, atque promissionem Abrahamo, seminiq; ejus tactam amplectantur,) ad piam imitationem, vel æmulationem, quasi agrè ferant, sibi palmam præcipi à gentibus, vel ad credendum in Christum excitet, & servet aliquos ex ipsis: Quod proponit v. 13. & 14. *Nam quod vobis dico gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus gentium ministerium meum illustro: ut si quo modo ad æmulationem provocem consanguineos meos, & servem aliquos ex ipsis.*

Si quaeritur, hac responsione propositâ, an Gentiles essent reconciliati, vel salus facta esset gentilibus, si Judæi non essent abjecti (nam si Judæi essent assumpti, non opus fuisset Gentilium reconciliatione, & conversione, ut per illam Judæi ad piam, & salutarem æmulationem excitarentur) & opponitur:

Judæorum abjectio est mundi, vel gentium reconciliatio.

E. Judæorum assumptio, vel conversio est mundi, vel gentium perditio, & amissio.

Resp. Apostolus argm. invertendo:

Judæorum abjectio est mundi, vel gentium reconciliatio.

E. Judæorum assumptio, vel conversio non est mundi, vel gentium perditio, & amissio.

Consequens

Consequens prob: nam abjectio Judæorum per se non est reconciliatio mundi, vel causa reconciliationis gentilium, (absurdum enim est dicere, interitum, vel abjectionem Judæorum Gentiles reconciliasse Deo, sicut absurdum est dicere, mortem hominis esse causam vitæ, cum nihil magis pugnet cum vita, quam mors: per accidens verò abjectio Judæorum est mundi reconciliatio, sicuti illud declarat Apostolus Act. 13. v. 46. Judæos ita alloquens: Vobis necesse fuit primùm exponi sermonem Dei, postquam autem illum repellitis, & indignos vos ipsos decernitis æternâ vitâ, ecce convertimus nos ad gentes. Assumptio autem, vel conversio Judæorum potuit esse reconciliatio gentium. Si quidem Judæi assumpti, & reconciliati suo exemplo, & argumentis Christi, Prophezarum, & Apostolorum gentiles potuissent excitare, ut vanitate mundi spretâ, & agnitione peccati factâ, Christum sequi discerent, & ex regno tenebrarum, ac mortis sese per prædicationem Evangelii, vel vera salutis media in regnum vitæ, & lucis transferri paterentur. Nam quæ assumptio Judæorum, vel quis assumptionis, vel conversionis Judæorum effectus fuisset alius, nisi vita ex mortuis, vel gentilium conversio, & è regno mortis in regnum vitæ assumptio. Nam si Judæorum mortem spiritualem, secuta est Gentium vita spiritualis, vel reconciliatio, multò magis Judæorum vitam spiritualem, & respicientiam secuta esset vita spiritualis, vel reconciliatio gentilium, quod proponit v. 15. *Nam si abjectio eorum est reconciliatio mundi, qua assumptio, nisi vita ex mortuis.*

v. 25.

Si quæritur, an ad abjectos Judæos, cum illorum abjectio sit mundi reconciliatio, nihil pertineat promissio beneficiorum Christi: Vel an abjectis Judæis non amplius pateat aditus ad bona Evangelii, & opponitur.

Judæorum abjectio est mundi, vel gentium reconciliatio. Et ad Judæos abjectos non pertinet promissio; Vel Judæis abjectis non patet aditus ad beneficia Christi, & bona Evangelii.

Resp. ad Conseqv. negando. Nam si Judæi absolutè essent abjecti, promissio ad illos non pertineret, neque ipsis pateret aditus.

tus.

us ad beneficia Christi, & bona Evangelii: Si verò primitiæ sanctæ sunt, si patriarchæ sunt sancti propter promissionem, etiam massa sancta est, & patriarcharum posterii sunt sancti per promissionem, quod 1. proponit v. 16. *Si verò primitiæ sanctæ etiam massa.* 2. Declarat per expositionem: *Si radix sancta est, etiam rami sancti sunt.* Ubi rami, sicuti antea massa, dicuntur sancti à sanctitate externa, ortâ ex fœdere cum patribus inito, non verò à sanctitate internâ cordis, vel fidei. Nam Apostolus hic non loquitur de Judæis assumptis vel conversis, sed de Judæis abjectis, quorum abjectio est mundi reconciliatio, ut ostendat, illos non simpliciter esse repulso, & exclusos à participatione, & hæreditate bonorum cœlestium, sed ad ipsos quoque pertinere promissionem de Messia, si modo fide eam amplecti, & Christum sequi non detrectent.

Si contra hanc responsionem opponit gentilis insertus Primò. Judæi sunt defracti; ego autem sum insertus:

E Judæi sunt absolutè rejecti; ego autem absolutè sum electus.

Consequens probatur, quia similium eadem est ratio: Si igitur rami defracti abjiciuntur, nec rursus inseruntur, neque deinceps participes sunt radicis atque pingvedinis oleæ; Illud autem, quod oleæ inseritur, particeps fit radicis, & pingvedinis illius, atque servatur, non verò abjicitur: Judæi quoque quia ramis defractis sunt similes, non percipient fructum promissionis Evangelicæ, neque participes erunt radicis, & pingvedinis oleæ, Ecclesiæ, beneficiorum Christi, vel promissionis radici factæ: gentiles autem inserti oleæ, & participes facti radicis, & pingvedinis oleæ, vel justitiæ Christi, servantur, & non abjiciuntur.

Resp. Apostolus 1. ad antecedens negando, quod omnes Judæi sint defracti: Si verò nonnulli rami defracti sunt, non sequitur, quod omnes rami, vel omnes Judæi sint defracti. Nam à particulari ad universale non valet Consequentia: quod proponit v. 17, *Si verò nonnulli rami defracti sunt.* Antequam verò Apostolus responderet ad consequens, opus erat seriâ dehortatione, ne gentilis conversus insolesceret adversus Judæum, neque argu-

mentaretur: Judæus est defractus; Ego autem sum insertus. E
 Judæus absolute est rejectus; Ego vero absolute sum electus. Nam
 turpe, & inhonestum est ita argumentari. Qui gentilis ita argu-
 mentatur, ille oblitus est, quod fuerit oleaster, oliva sylvestris, &
 infructuosa orta ex radice, vel ejusmodi parentibus, qui Deum
 non glorificarunt, nec ei gratias egerunt; sed vani facti sunt in
 ratiocinationibus suis, quorum cor desipiens fuit obtenebratum,
 qui mutarunt gloriam Dei incorruptibilis in similitudinem ima-
 ginis &c. Ille non memiuit, nec expendit, quod fuerit alienus à
 cœtu sanctorum, & filiorum Dei; ex gratia autem insertus sit per
 fidem oleæ, vel Ecclesiæ Dei, atque particeps factus radice, & pin-
 guedinis oleæ, vel promissionis Evangelicæ non aliter ac si ex ipso
 Patriarcha Abrahamo esset natus: Ille non recordatur, se parti-
 cipem fieri promissionis Abrahamo, Isaco & Jacobo Judæorum
 patribus olim datæ, eorumque gaudere privilegiis; superbum autem,
 atque injuriam repetiri, si ipsorum posteris defractus insultet, quia
 sunt radice, & sanctorum Patriarcharum posterii. Absurdum
 igitur est, gentilem conversum insolescere adversus Judæum. Nam
 hoc perinde est, ac si rami arboris insultarent radici, quæ sine sunt
 infœcundi: quemadmodum enim per radicem venit succus in ra-
 mos, ut florescant, & reddantur fœcundi; Ita per Prophetas, &
 Apostolos particeps facti sunt gentiles promissionis Evangelicæ,
 v. 17. & 18. ut sint filii, & hæredes Dei, quod proponit v. 17. & 18. *Tu vero cum
 esses oleaster, insitus es in illis, & particeps radice, ac pinguedinis oleæ
 factus es: Ne gloriare adversus ramos: Si vero gloriaberis, non tu rami
 portas, sed radix te.*

2. Ad Consequens negando. Nam qui dicit defracti sunt
 rami, ut ego inserer, ille bene loquitur, quod proponit v. 19. & 20.
 v. 19. & 20. *Dices igitur defracti sunt rami, ut ego inserer: Bene: qui vero dicit, Ju-
 dæos absolute esse excisos, & abjectos; se v. gentilem absolute es-
 se insertum, & electum, ille malè loquitur, & argumentatur pessi-
 me. Nam (a) Judæi non sunt absolute abjecti: quod probat
 sequenti argumento:*

Judæi per incredulitatem defracti sunt

E. Judæi non absolute sunt abjecti.

Atteco.

Antecedens proponit v. 20. per incredulitatem defracti sunt. Consequens probatur. Nam per quod Iudæi sunt defracti, & excisi, per illud quoque sunt rejecti: quia defractum esse, & rejectum esse, sunt convertibilia. (b) Gentilis insertus oleæ non absolute est electus: quod probat sequenti argumento:

Tu gentilis, qui insertus es oleæ, stas per fidem.

E. Tu gentilis, qui insertus es oleæ, non absolute es electus.

Antecedens proponit v. 20. Tu verò per fidem stas.

Si opponit *Secundo*.

Ego non possum defrangi, & gratiâ Dei excidere.

E. Ego absolute sum electus:

Apostolus, priusquam respondet ad argumentum, hortatur gentilem insertum oleæ, ne hoc modo argumentetur. Nam qui ita argumentatur, ille non perpendit; quod gratiâ Dei sit, quod est: ille, neglectâ Christianâ humilitate, superbe de se sentit, nec continet sese in timore Dei, quod dissuadet ab *inbonusto* dicens: *ne effertor animo* v. 20. Dehortatione factâ, eundem quoque exhortatur à *necessario*, ut suæ fragilitatis memor, & spiritualium hostium multitudinem, astutiam, insidias, & crudelitatem humiliter expendens in timore, & tremore salutem operetur, atque Iudæorum defractorum miseriâ sese ad divini nominis reverentiam, & veram humilitatem excitet, Deumque sicuti bonus filius vereatur, ne simili modo ipsius gratiâ excidat juxta illud: qui stat, videat ne cadat. Quod proponit per unicum illud verbum v. 20. *Sed merue*. Dehortatione, & exhortatione absolutâ, respondet ap. ad antecedens negando. *Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide, ne tibi quoque non parcat: quod* proponit v. 21. Si itaque gentilis in regnum Christi translatus vult argumentari, & suæ animæ rectius consulere, sequenti modo argumentetur: Ego possum defrangi, & excidere gratiâ Dei. E. ego non sum absolute electus; sic Paulus Apostolus concedet totum argumentum.

Si opponit *Tertiò*.

Iudæi defracti suæ oleæ rursus inseri nequeunt.

E. Iudæi defracti absolute sunt rejecti:

Apostolus, antequam respondet ad argumentum, denuo gentilem conversum hortatur, ne ita argumentetur, eiq; suadet à necessario, ut rectè utatur gratiâ Dei, seduloq; expendat omni loco, & tempore causas abjectionis Iudæorum, & causas assumptionis gentiû, semperq; in conspectu habeat Dei severitatem, quâ, superbos, securos, contumaces, atq; fidem non retinentes abjicit; & Dei bonitatem, quâ humiles, & pœnitentes assumit: illam in Iudæis, quorum abjectio est clarissimum iræ divinæ speculum, & veræ pœnitentiæ, atqve Christianæ humilitatis perpetua conicio: hanc verò in semetipso ex mera gratiâ translato è regno mortis, in regnum Christi; ne suâ culpâ, & vitio, gratiâ Dei amittat, & in æternum pereat: quod proponit v. 22. *Vide igitur bonitatem, ac severitatem, Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.*

v. 22.

Hâc fidelissimâ exhortatione præmissâ, respondet Ap. ad antecedens i. Concedendo, quòd suis viribus Iudæi defracti suæ oleæ rursus inferi nequeant, z. negando, quòd illi ita sint defracti, ut virtute Dei suæ oleæ rursus inferi nequeant. Nam si non permanserint in infidelitate rursus suæ oleæ inferentur: quod probat sequ. argumento.

Iudæos defractus, Deus inferere potest oleæ.

E. Iudæi defracti, si non permanserint in infidelitate, suæ oleæ rursus inferentur.

v. 23.

Antecedens proponit v. 23. *Nam potens est Deus rursus eos inferere.* Consequens i. proponit v. eodem. Nam non tantum tu gentilis ex gratiâ, & virtute Dei insertus es veræ oleæ; sed & illi, si non permanserint in infidelitate, inferentur. z. Probat sequ. argum.

Tu gentilis insertus es præter expectationem veræ oleæ.

E. Multò magis Iudæi defracti, & abjecti inferentur propriæ oleæ.

Consequens probat: Nam tu gentilis ex naturali exectus es oleastro, id est ex non populo Dei, & præter naturam, vel præter expectationem non absq; admiratione insertus es in oleam cultam, vel Dei ecclesiam: tuis majoribus non facta est solemnis promissio.

promissio, sicuti Judæorum parentibus: tua gens erat non gens, gens stulta, gens in umbra mortis, & tenebris sedens: Judæi verò sunt Israëlitz, quorum est adoptio, & gloria, & pacta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones, quorum sunt patres illi, ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deum benedictus in secula. Quod proponit v. 24. *Nam si tu ex naturali exultus es oleastro, & præter naturam insitus es in veram oleam: quanto magis ii, qui naturales sunt, inserentur propria olea.*

Si contra hanc responsionem opponitur.

Judæorum terra, & metropolis in medio gentium posita, armis brevi certissimè opprimeretur, & solo prorsus equabitur, adeò ut ne lapis relinquatur super lapidem, nec unquam restaurabitur. E. Judæi non amplius sunt olea, vel populus Dei, neque propria olea rursus inserentur.

Antecedens probatur, quia Christus dixit: amen dico vobis, quòd non præterierit hæc ætas, donec hæc omnia, sc. quæ prædixi de Judæorum interitu, facta fuerint: Cælum, & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt Luc. 21. v. 32. 33.

Consequens probatur, & quidem (a) quòd Judæi non sint olea, vel ecclesia Dei; nam si Judæi essent olea, vel ecclesia Dei; Hierosolyma non everteretur, sed esset, & maneret gloriosa ecclesia, & populi Dei sedes, quippe quam ipse Dominus dilexit super omnia tabernacula Jacob, & elegit sibi in domum, ubi gratosè vult habitare, quamdiu Judæi sunt vera olea. (b) quòd Judæi non inserantur propria olea: nam si inserentur Judæi propria olea, Hierosolyma reedificaretur à Judæis, quòd verò nunquam continget, quia spes recuperandæ suæ regionis, & urbis ipsis prorsus est adempta. Nam ecce, inquit, ipse servator, relinquitur vobis domus vestra deserta Mat. 23, 38. occupavit enim eos ira ad finem usque 1. Tess. 2. 16.

Resp. Apost. 1. ad antecedens concedendo. Nolim enim, inquit, vos ignorare fratres mysterium hoc; multum enim vestrà inter est, ut illud semper in conspectu habeatis, ne sitis apud vosmet ipsos

met ipsos sapientes, sicuti Judæi, Pharisei, & scribæ, quibus nos Apostoli Christum crucifixum prædicamus offendiculum. Nam per illud mysterium Dominus ipse concionabitur toti orbi, ut discat omnis populus, quod non sit confidendum humanæ sapientiæ; & securitate carnali abjectâ, veram amplectatur sapientiam: quod proponit v. 25. *Nolum enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut ne sitis apud vosmetipsos sapientes.*

2. Ad consequens negando quod (a) Judæi in universum non futuri sint olea, quando hostis, vel complementum gentium in ipsorum regionem veniet sicut fluvius, omniaq; perdet, & abripiet. Nam argumentari ab Hierosolymæ, ejusq; templi, & totius terræ Judaicæ devastatione, ad universalem Judæorum abjectionem, nulla valet consequentia, quia salus Judæorum non dependet à loco, vel in habitatione urbis Hierosolymæ, & possessione terræ Canaan, sed à redemptione Domini nostri Jesu Christi, qui est *ὁ πρὸς μὲν*, vel qui servat, & abstulit Judæorum peccata, quod proponit v. 25. 26. & 27. *quia obduratio ex parte Israeli contigit, donec complementum gentium introierit: Et sic salvus erit totus Israel, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui servat, & avertet impietates à Jacob. Et hoc est illis à me pactum, quum abstulero peccata ipsorum.* Ubi Apostolus docet. (a) Deum habiturum esse in populo Israelitico veram ecclesiam: donec introierit in terram sanctam complementum gentium, quia excecatio Judæorum non est universalis, sed ex parte accidit Israeli (b) ecclesiam illam ira servatum iri, sicut scriptum est: *veniet ex Sion ὁ πρὸς μὲν*, & avertet impietates à Jacob: Et hoc est illis à me pactum, *ὁ πρὸς μὲν* dicit: quum abstulero peccata ipsorum. Nam in Christo habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum Col. 1. 14. Hic est *ὁ πρὸς μὲν*, qui liberat nos ab ira ventura 1. Tess. 1. 10.

Si opponitur.

Deus habebit suam oleam, vel ecclesiam in populo Judaico, donec complementum gentium introierit.

E. Deus, introitu complementi gentium facto, non amplius habebit suam oleam, vel ecclesiam in populo Judaico.

Antece-

Antecedens probatur, quia excæcatio Israeli ex parte accidit, donec complementum gentium introierit. Si igitur eo tempore quidam Judæi erunt excæcati, quidam verò non excæcati, sequitur, Deum in populo Judaico habere ecclesiam usque ad Ingressum complementi gentium.

Consequens probatur, quia particula donec, vel *μέχρι* ἢ designat terminum, vel finem excæcationis particularis Judæorum. Si igitur particularis excæcatio Judæorum suum finem habebit ingressu complementi gentium facto, sequitur excæcationem Judæorum deinceps futuram esse vel universalem, vel nullam. Posterior nemo affirmabit, nam ira Dei manebit super Judæos usque ad finem 1. Tess. 2. 16. quia Judæi nolunt sese submittere; justitiæ fidei; Sed propriam justitiã student constituere. Relinquitur itaq; quòd, ingressu complementi gentium facto, Judæorum excæcatio futura sit universalis.

Respondemus, quòd committatur fallacia divisionis. Nam Apost. non tantùm dicit: quia obduratio ex parte Israeli accidit, donec introierit complementum gentium, sed etiam immediatè illis verbis subjungit: Et ita, vel eo modo omnis Israel servabitur, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui servat, & avertet impietates à Jacob, & hoc est illis à me pactum: quum abstulero peccata ipsorum. Atque hoc est, quod Apostolus dixit cap. 9. v. 27. 28. 29. Esaias autem clamat super Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel, ut arena maris, reliquiae servabuntur. Rem enim conficiet, & concidet cum justitiã, quoniam rem concisam peraget Dominus in terra: Et sicut prius dixit Esaias: Nisi Dominus exereituum reliquisset nobis semen, facti fuissetus ut Sodam & Gomorrhæ similes facti fuissetus. Quamvis enim eo tempore, quo hostis in terram Judæorum veniet ut fluvius, quo Dominus rem faciet, & concidet in justitiã, numerus Judæorum excæcatorum, & pereuntium fuerit sicut arena maris; reliquiae tamen servabuntur; Illæ Hierosolymã, ejusque templo magnificentissimo funditus everso, totaque Judæã devastatã, & incredibili Judæorum multitudine partim mactatã, partim in captivitate abductã, partim bestiis objectã, dicent, sicuti prius dixit Esaias: Nisi

Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, facti fuissetus ut Sodoma, & Gomorrha. Nam dies ultionis, sicut Christus prædixit, jam sunt impleti: In tota Judæa orta est afflictio, qualis non fuit ab initio mundi, à principio rerum conditarum, quas condidit Deus. Hierosolyma urbs perfecti decoris, & gaudium universæ terræ, urbs Deo electa, & gloriosa, totiq; mundo admirabilis, nunc sicuti Christus vaticinatus est, funditus est perdita, & solo æqvata. Templū Domini, opus maximè admirabile, totiusq; orbis ornamentum, & miraculum miserrimè incendio est destructum, & desolatatum, sicuti Christus suis discipulis prædixit: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non dissolvetur Mat. 24, 2. Nos, Hierosolyma, & Judæa relicta juxta Christi monitum: tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui intra eam, excedant, & qui in agris, non ingrediantur in eam, salutem quæsimus per redemptionem Domini nostri Jesu Christi, & servamur, ac servati sumus, sicut scriptum est: veniet ex Sion servator, & avertet impietates à Jacob: Et hoc est illis à me pactum: quum abstulero peccata illorum. Nos servamur, & servati sumus, sicuti angelus dixit: Ipse liberabit populum suum ex peccatis ipsius Mat. 1. 21. Nam Christus est verus servator, & liberator, qui venit, ut impietates à Jacob averteret, & peccata nostra abstulit. Reliqui servatores fuerunt impostores, & suâ vanissimâ pollicitatione effecerunt, ut tandem Hierosolyma, ejusq; Templum splendidissimum interierit, totaq; Judæa, magnâ elade, & lanienâ factâ, sit direptione, & incendiis perdita; mensa illorum nunc facta est in laqueum, & in captionem, & in scandulum: quod nonnulli, uti ait Cornelius à Lapide, ita explicant: Mensa id est esca fellis, & aceti, quam mihi Christo appararunt Judæi, in cruce, tali & ipsi fruantur in obsidione sub Tito, & deinceps.

Priusquam verò ulterius progredimur, à te benevole lector amice contendimus, ne in sinistram partem rapias, quòd non hujus, vel illius viri optimi, & de ecclesia Christi præclarè meriti sententiam in nostra analysi sequamur, & amplectamur; sed sequentia hoc loco nobiscum præponderare, & expendere haud graveris. Interea nos nemini præjudicamus ex animo voventes, ut Judæi defracli tandem Spiritu-

dem Spiritum soporis, & compunctionis per Evangelii prædicationem sibi adimi patiantur, & veris mediis ad salutem contendentes magno numero ad regnum Messie veniant, & in eo Deum patrem Domini nostri Iesu Christi nobiscum rectè agnoscant, & celebrent.

Dicimus igitur, salvâ aliorum autoritate, quòd hoc loco quæratùr implicite, an Iudæi futuri sint vera olea, vel Dei populus, quando τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν vel complementum gentium veniet sicuti fluvius in terram sanctam, eamq; evertet, & desolabit, multisq; millibus Iudæorum trucidatis, & in captivitatem abductis, Hierosolymam urbem in toto orbe longè celeberrimam expugnavit, & evertet.

Nam I. Capite nono objeitur Apostolo, quòd Deus velocissimè sit executurus sententiam de Iudaicæ gentis devastatione, ut probetur, Iudæos non amplius esse vasa misericordiæ, sed vasa iræ, & propterea non consequi, quòd expectant. Cum igitur hoc loco ferè eadem proponatur quæstio, verisimile est, Iudæorum perditionem, & interitum denuò hic opponi, ut probetur, Iudæos non amplius esse oleam, vel ecclesiam, quando hostis, vel complementum gentium, ut fluvius magno cum impetu influet, & irumpet in terram Iudæorum, omniaq; in ea destruet, & abripiet. Videbatur enim hoc argumentum haud obscurè illud probare. Neq; illa docendi ratio Apostolo est insolens, quâ unam eandemq; rem aliis verbis, aliisq; repetit loco; quòd cum ex hoc capite, tum ex aliis locis probatu est facilimum.

II. Interpretatio hæc ipso contextui, & instituto Apostoli est accommodata, sicuti ostendunt in immediatè præcedentiâ, & sequentiâ, quæ instar Catenæ uno eodemq; contextu firmissimè coherent.

III. Verba textus, hæc sententiâ assumptâ, retinent suam nativam significationem.

IV. Interpretatio illa non tantùm fidei est analoga, sed etiam historie ecclesiasticæ consona.

V. Esaias Cap. 59. vers. 19. ita loquitur: וְיָרָאוּ מִמַּעַרְבַּי אֶת־שָׁמַיִם וְיִתְהַיְבֹּאוּ מִמְּזוּרָתִי אֶת־כְּבוֹדוֹ כִּי־כֹחַ כְּנָפָיִךְ

: בִּי נִסְסוּ יְהוָה יִתְּנוּ רֹחַ הַקֹּדֶשׁ
 Et timebunt ab occidente nomen Domini, & ab ortu Solis gloriam ejus. Nam venit veluti fluvius hostis, Spiritus Domini est elevans in eo, vel vexillum erigens in eo; Huic versui immediatè subjungitur sequens versus, quem Apostolus hoc loco citat: וְבֵרַח לְצִיּוֹן גֹּאֲלָהּ וְיָשִׁיב יְהוָה אֶת-יַעֲקֹב כִּי-עָקַב נֶאֱמָר יְהוָה
 Et veniet ad Sion Redemptor, & ad redeuntes ab iniquitate in Jacob, dixit Dominus. Paulus Apostolus secutus est Versionem Græcam: καὶ ἔρχεται εἰς τὴν Σιών ὁ σωτήρ, καὶ ἀποστρέψεται ἐκ τῆς ἀνομίας τὸν Ιακώβ.
 Et veniet ex Sion Servator, & avertet impietates à Jacob.

VI. Vespasianus à Nerone vocatus, ut præfesset Romano exercitui in Syria, & Judæos, qui prospero successu contra Romanos pugnaverant, ad officium redire coheret; obedientiam verò detrectantes armis opprimeret, & expugnaret, classe Hellepontum trajecit, magnaq; utens celeritate tanquam fluvius irrupit in terram Judæorum, sibiq; multis millibus, ad pugnam erumpentibus, & partim ferro trucidatis, partim disjectis, totam Galilæam, celerrimâ expeditione subjecit. Titus Vespasiani filius, mandato à parente accepto, velocissimè sicut fluvius ex Achaja classe venit Alexandriam, & inde per Ægyptum in terram Judæorum, atq; florentissimis oppidis velociter expugnatis, magnas, variasq; dedit strages. Tam subito, tam inopinatò, Judæis nihil tale cogitantibus, hostis ut fluvius, irruptionem fecit in terram sanctam. Nam Judæi securissimam agebant vitam, & in summa pace, uti Josephus ait, vivebant, sibiq; in suæ mentis cecitate omnem promittebant felicitatem. Quicquid igitur illis accidit, præter omnem expectationem ipsis in summa securitate viventibus accidit; sicuti nonnunquam contingit, ut inopinatò fluvius extra alveum transfusus magno aquarum impetu omnia celerrimè inundet, destruat, & abripiat.

VII. Spiritus Domini erat vexillum erigens in hoste, ut is contra Judæos agitaretur, adeo ut ipse Vespasianus, incredibili Judæorum tumultu, & inexplicabili seditione Hierosolymis à Zeolotis excitatâ, ducibus militum suadentibus, ut hæc occasio Judæos debellandi, & Hierosolymam occupandi, non dimitteretur, r espon-

responderit: Deum longè melius posse hoc negotium expedire, quippe qui decrevisset, Judæos tradere in manus, & potestatem Romanorum. Dux ipse Titus magno quidem studio contendebat, ut Judæis Hierusolymâ integrâ conservaret: offerebat multoties obsessis pacem, securitatem, & clementiam, multisq; argumentis suadebat, ut sibi, suæ urbi, totiq; populo rectius consulere, firmissimè asserens; se non venisse, ut Judæos perderet, sed, reconciliatione factâ, ipsos servaret, & defenderet; nullâ tamen ratione fieri potuit, ut urbs longè omnium splendidissima, & munitissima diutius conservaretur. Nam Dominus erat vexillum erigens in hoste: Illius judicium super Judæos advenerat, quod nec amici, nec inimici infirmare poterant. Quamobrem idem Dux, urbe expugnatâ: Deo, inquit, planè adjuvante pugnâvimus, & Deus erat qui detraxit ab istis munitis Judæos.

II. Eo tempore timebant nomen Domini, sicut Esaias prædixit, ab occidente, & ab ortu Solis gloriam ejus. Nam fides Romanorum annunciabatur in toto mundo Rom. 1, 8. Sermo veritatis evangelii venerat in totum mundum, & erat prædicatum evangelium universæ creaturæ, quæ sub cælo est, Col. 1, 6. 23. In confesso est, inquit Apostolus 1. Tim. 3, 16. magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne prædicatus est gentibus, fides illi habitæ est in mundo. Atque hoc est, quod Christus prædixit Matth. 24. v. 14. Prædicabitur Evangelium regni in toto orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus, & tunc veniet finis, & consummatio.

IX. Judæorum laniena, & orbis Hierusolymitani extrema devastatio Judæis, aliisq; populis erat mysterium, vel res arcana, & occulta: Quis enim mortalium unquam cogitasset, quod tam funesta clades, & ruina Judæis esset allata? Ipsi Discipuli Christi, vaticinio Domini de interitu templi Hierusolymitani audito, arbitrabantur, fieri non posse, ut illud interiret, & destrueretur, nisi novissimo die instante.

X. Aliud mysterium, de quo dicatur, quod sit illud, ejus Apostolus hic meminit, hæcenus non est impletum. Nec verisimile est, mysterium illud, tanto temporis intervallo, id est, à tempore A-

postolorum usque ad præsens tempus, non esse impletum, quia debebat id esse clarissimum speculum gentium, quod omni loco, & tempore quam diligentissime inspicerent ut severitate Dei, cognita, & intellecta, non imitarentur cæcos, & stultos Iudæos, qui, Dei sapientiã postpositã, & rejectã apud semetipsos fuerunt sapientes, & per stultam illam sapientiã, quã sibi valde placuerunt, truculenter interierunt. Neque satis constat inter theologos, quod universalis, vel valde illustri Iudæorum conversio ante extremum diem futura sit. Lutherus Tom. 8. Ien. germ. fol. 119. illud negat, quia Iudæi nolunt sese submittere iustitiã Dei, & propriam iustitiã student constituere: offendunt ad lapidem offendiculi, nolunt sibi adimi Spiritum soporis, & compunctionis per prædicationem evangelii: Tergum ipsorum semper incurvabitur; in corde suo nolunt loqui sicut iustus ex fide, ignorant perfectionem legis, neque veris mediis ad salutem contendunt: sicut hæc omnia Apost. in præcedentibus exposuit; Illud autem mysterium, de quo hoc loco est quæstio, omnibus debebat esse cognitum, atque perspectum. *Nam nolim vos ignorare fratres,* ait Apostolus, *mysterium hoc;* Omnibus autem patefacta est truculenta illa Iudæorum strages, totiusq; terræ Judaicæ terribilissima devastatio, ut nemo mortalium, vel gentium in sua sapientiã, acquiescat, sibi quæ placeat, sed unusquisque veram requiem, & salutem quærat per sapientiam Domini nostri Jesu Christi, qui nobis factus est à Deo, ut, qui gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Cor. 1, 30. 31.

XI. τὸ πληρωμὴ propriè significat id, quo aliquid completur, & perficitur ut Mat. 9, 16, Marc. 2, 21. τὸ πληρωμὴ τῶν ἰματίων παλαιῶν significat id, quo suppletur vestimentum vetus. Marc. 8, 20. ἵππε σπυρίδων πληρωμὴ κλασμάτων fragmenta, quibus suppleta sunt septem sportæ. Rom. 11, 13. τὸ πληρωμὴ Ἰσραὴλ est id, quo suppletur, vel suppleri debebat Israel, 1. Cor. 10, v. 26. τὸ πληρωμὴ τῆς γῆς est id, quo completa est terra. Eph. 1, 23. Ecclesia dicitur τὸ σῶμα τῆς κεφαλῆς, ἢ τὸ πληρωμὴ αὐτῆς corpus Christi, & quo completur Christus, quia ipse est caput, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum Eph 4, 16. Quibus

propositis,

propositis, quæritur, quidnam obstat, quò minus dici possit, quòd hoc loco τὸ ἀληθινὸν ἔθνος significet id, quo completæ sunt gentes, vel quo suppletus est exercitus Romanus in Syria, qui ante adventum Vespasiani adeo erat diminutus, ut Nero ejus vires debilitatas metiens, atque diligenter æstimans Judæorum rebellione vehementer sit perturbatus, eiq; magna mæstitudo obtigerit. *Ne-ronem autem scribit Josephus lib. 3. de bello Jud. c. 1. Ubi res apud Judæam non prosperè gestas accepit, latens quidem, quod necesse fuit, eum timore stupor invadeat, magisq; duci negligentia quam virtute bestiam, qua contigerant, facta esse, dicebat. Veruntamen curis arguebatur mentis ejus perturbatio, cum deliberaret, cuiam commotum crederet orientem, qui una & Judæos rebellantes ulcisceretur, proximasq; his nationes simili modo correptas ante caperet. Invenit igitur solum Vespasianum his necessitatibus parem, & qui tanti belli magnitudinem suscipere posset virum ab adolescentia usq; ad senectutem bellis exercitatum. Hic Vespasianus & Titus Vespasiani filius suis legionibus, aliorumq; Regum cohortibus Vespasiano subsidio missis suppleverunt exercitum Syriacum, ut Judæos rebellantes, & Imperatori Romano obsequi nolentes fortiori manu ad officium redire egerent.*

XII. τὰ ἀληθινὰ ἔθνη in Historiis Græcis sæpe dicuntur classici milites.

XIII. Si opponitur, Apostolum hic per τὸ ἀληθινὸν ἔθνος intelligere plenitudinem gentilium, qui vocati venerunt ad regnum Messia ex omnibus mundi partibus; quæritur, an vocatio gentilium ad ecclesiam, vel regnum Christi non sit duratura usq; ad finem mundi: vel an tempus illud futurum sit, quo nullus gentilis amplius vocabitur, & veniet ad regnum Messia? Prius omnino speramus, & credimus. Nam credentes Paulus ita alloquitur 1. Cor. 1. 8. Qui confirmabit vos usque ad finem inculpatos in diem Domini nostri Jesu Christi. & Phil. 1. 6. Persuasum habens hoc ipsum, fore, ut, qui cepit in vobis opus bonum, perficiat illud usque ad diem Jesu Christi. Posterius autem negamus, quia Deus toto die expandit manus ad populum inobedientem, & vult omnes ad poenitentiam reverti 2. Pet. 3. 9. Si igitur gentium vocatio

simon 3

l. 3.

& acce-

& accessus ad regnum Christi durabit usque ad gloriosum Christi adventum; sequitur Judæorum conversionem universalem, vel valde illustrem non esse futuram, quando plenitudo gentium introit in Ecclesiam, vel regnum Christi. Nam tum finem imponet Deus tempori gratiæ, nec amplius dabitur locus pœnitentiæ; sed unusquisq; voce illâ Christi auditâ: surgite vos mortui, rationem reddat necesse est Supremo Judici Domino nostro Jesu Christo, quo pacto vitam suam in tempore gratiæ transegerit, suamq; audiat sententiam. Quamobrem Paulus hoc loco non probat universalem Judæorum conversionem ante extremum diem expectandam. Nam si illam probaret testimonio Esaie sequenti modo esset colligendum: Judæorum redemptor venit, sicut scriptum est: veniet ex Sion *ὁ πρῶτος* Ⓞ, ist est qui servat, & averteret impietates à Jacob: Et hoc est illis à me pactum: Quum abstrulero peccata ipsorum.

E. Judæorum futura est universalis conversio ante extremum diem. Non autem licitum est argumentari ab universalitate meriti Christi ad universalem Judæorum conversionem. Antecedens loquitur de modo, quo Judæi servantur, & opponit redemptionem veram à Christo factam; redemptioni Judæorum fictæ vanæ, & inani, ut sicuti scriptum est, per illam Judæi salutem quarant, hanc verò nihili faciant, & rejiciant. Nam unus est mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus, qui sese ipse dedit redemptionem pro omnibus: Tim. 2. v. 5-6.

Quamobrem Ap. sequenti modo argumentatur.

Quicumq; ita servabitur, sicut scriptum est: veniet ex Sion *ὁ πρῶτος* Ⓞ qui servat & averteret impietates à Jacob: Et hoc est illis à me pactum: quum abstrulero peccata illorum. Illius salus deponderà redemptione Domini nostri Jesu Christi, non verò à redemptione alterius; neq; ab in habitatione terræ sanctæ, neq; à defensione, & integritate urbis Hierosolymæ, ejusq; templi magnificentissimi.

Atq; omnis Israel ita, vel eo modo servabitur, sicut scriptum est: veniet ex Sion *ὁ πρῶτος* Ⓞ.

E. Omnis

E. Omnis Israelis salus dependet à redemptione Domini nostri Iesu Christi, non verò à redemptione alterius, neque ab inhabitatione terræ sanctæ &c.

Major probatur autoritate Vet. & Nov. Test: quis autem potest enarrare omnia illa scripturæ loca, quæ probant, & testantur, quòd Christus sit ille *ἰσχυρὸς* vel servator, qui venit ex Sion, qui avertit impietates à Iacob, qui abstulit nostra peccata? Annon huic omnes Prophetæ, sicut scriptum est Act. 10, 43. testimonium dant, remissionem accepturum per nomen eius quemvis, qui crediderit in eum? Minor est ipsius Apostoli dicentis: Et ita uel eo modo omnis Israel servabitur, sicut scriptum est &c.

Hactenus de illa egimus quæstione, quæ quæritur, an Judæi sint vera olea; quando plenitudo gentium introiit. Nunc (b) quæritur, an Judæi defracli, & abjecti propriæ oleæ rursus inseri possint, introitu plenitudinis gentium facto. Si illud negatur, & opponitur.

Judæi defracli, & abjecti sunt Dei inimici.

E. Judæi defracli, & abjecti suæ oleæ rursus inseri nequeunt, quando plenitudo gentium introiit.

Resp. Ap. Ad consequens negando. Quia Judæi defracli, & abjecti non simpliciter sunt Dei inimici. Quod 1. proponit v. 28. v. 28. *Secundum Evangelium quidem inimici sunt propter vos; secundum electionem autem dilecti propter patres id est propter promissionem patribus factam, vel dona ipsis Judæis promissa, & vocationem.* 2. probat, (a) Sequ. argumento.

Deum non pœnitet suæ promissionis, & vocationis.

E. Judæi non simpliciter sunt Dei inimici.

Antecedens probat quia impossibile est, ut Deum pœniteat suæ promissionis Abrahamo, Isaaco & Jacobo factæ, & vocationis, quæ omnes homines, omnes peccatores vocat ad pœnitentiam, *Nam dona, & vocatio Dei sunt absq; pœnitentia, vel ejusmodi, ut ipsorum pœnitere non possit:* quod proponit v. 29. Ubi Apostolus docet, quod à parte Dei fœdus stet firmum, atq; inconcussum, cum Deus sit constans in suis promissionibus, nam si infidus sumus, ille tamen manet fidelis, negare seipsum non potest. 2. Tim. 2, 13. (b) Sequ. argumento. Gentiles quondã inobedientes non absolute, vel simpli-

simpliciter fuerunt Dei inimici. E. Judæi defraçti, & abjecti non absolutè vel simpliciter sunt Dei inimici.

Antecedens probatur, quia gentiles quondam inobedientes nunc misericordiam sunt consecuti.

Consequens probat. *Sicut enim & vos gentiles quondam non obedivistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti per istorum inobedientiam: Ita & isti nunc non obedierunt, ut per vestri misericordiam & ipsi misericordiam donentur.*

Si negatur, quòd Judæi defraçti possint misericordiam donari, & opponitur: Judæi defraçti sunt increduli

E. Judæi defraçti non possunt donari Dei misericordiam.

Resp. Apostolus ad Consequens negando, *Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnium misereatur* quod proponit v. 32.


v. 32.

Hactenus Apostolus disputavit de illis quæstionibus, quæ spectant vel ad omnes homines, vel ad Judæos, & gentiles conversos simul, vel ad solos gentiles, vel ad solos Judæos. Disputavit autem de multis, & variis quæstionibus ad salutem nostram pertinentibus. Disputavit de origine mortis, & vitæ; de justificatione hominis peccatoris coram Deo, de Evangelio, gratiâ Dei, merito Christi, vocatione ad regnum Christi, legis usu, de sorte Christiani cum Christo patientis, & proprietatibus hominis spiritualis, & carnalis, de unione cum Christo, Spiritus sancti auxilio, & regimine, de electione, & abjectione, atq; similibus. Disputatione, vel priori parte Epistolæ (nam dua sunt partes, Epistole, uti Philippus docet, prior continet longam disputationem: in posteriore sunt præcepta de moribus) absolutâ, in eo; *Conclusit Deus omnes in incredulitate ut omnium misereatur*, Apostolus subsistit. Cujus abyssus altitudinem, ait Augustinus, veluti expavescens exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum, sapientia & scientia Dei.* Præmiserat quippe sententiam miræ profunditatis

v. 33. 34.

35. 36:

dicens: Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnium misereatur. Hujus profunditatis veluti horrore percussus, O altitudo inquit divitiarum sapientia, & scientia Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles via ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius illius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsam, & in eum sunt omnia. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen. quod proponit Ap. v. 33. 34. 35. 36.



CAPUT. XI.

E. Omnis Israelis salus dependet à redem-
ptione Iesu Christi; non verò à redemptione alterius
habitatione terræ sanctæ &c.

Major probatur autoritate Vet. & Nov. Test: qui
enarrare omnia illa scripturæ loca, quæ probant, &
Christus sit ille *puer* vel servator, qui venit ex-
tit impietates à Jacob, qui abstulit nostra peccata?
omnes Prophetæ, sicut scriptum est Act. 10, 43. testi-
remissionem accepturum per nomen ejus quem vis-
in eum? Minor est ipsius Apostoli dicentis: Et in-
omnis Israel servabitur, sicut scriptum est &c.


Hactenus de illa egimus quæstione, quæ quæ
sint vera olea; quando plenitudo gentium introit-
tur, an Judæi defracti, & abjecti propriæ oleæ rursu
introitu plenitudinis gentium facti. Si illud negat
Judæi defracti, & abjecti sunt Dei inimici.

E. Judæi defracti, & abjecti suæ oleæ rursu
unt, quando plenitudo gentium introit.

Resp. Ap. Ad consequens negandò. Quia
& abjecti non simpliciter sunt Dei inimici. *Quod i-*
Secundum Evangelium quidem inimici sunt propter vos
Etionem autem dilecti propter patres id est propter pro-
tribus factam, vel dona ipsis Judæis promissa, &
2. probat, (a) Sequ. argumento.

Deum non pœnitet suæ promissionis, & voca-

E. Judæi non simpliciter sunt Dei inimici
Antecedens probat quia impossibile est, ut I-
suæ promissionis Abrahamo, Isaaco & Jacobo factæ
quæ omnes homines, omnes peccatores vocat ad
Nam dona, & vocatio Dei sunt absq; pœnitentia, vel ejus-
eorum pœnitere non possit: quod proponit v. 29. Ubi
cet, quod à parte Dei fœdus sit firmum, atq; ve inco-
Deus sit constans in suis promissionibus, nam si in-
tamen manet fidelis, negare seipsum non potest.
Sequ. argumento. Gentiles quondã inobedientes n-



65

v. 28.

v. 29.